

illo Joan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est.* At caro tota est mala, neque bonum aliquid gignere potest. Nam effectus carnis mors est, ad Roman. viii. Et fructus carnis sunt fornicatio, immunditia, etc. ad Galat. v. Neque responderi potest, accipi carnem pro parte hominis inferiore, cum dicitur: *Quod natum est ex carne, caro est.* Nam Dominus ait: *Oportet vos nasci denuo.* At nasci debemus secundum partem superiorem. Ait enim Apostolus ad Ephes. iv. *Renovamini spiritu mentis vestrae* (1). Igitur pars etiam superior ante justificationem dicitur caro, et nihil facere potest, nisi propria carnis, id est, peccata.

Respondeo: caro sumitur quidem interdum in divinis litteris pro homine carnali, ut carnalis distinguitur a spirituali, id est, pro homine, in quo primas partes sibi vendicat caro, ut in loco citato, ad Galat. v. *Opera carnis sunt fornicatio, etc.* Sæpius tamen per figuram intellectionis pro toto homine simpliciter accipitur, ut Joan. 1. *Verbo caro factum est.* Et Isai. xl. *Omnis caro fœnum* (2). Hoc autem loco certum est, carnem accipiendam esse simpliciter pro homine, ut accipiunt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus et alii in commentario, et Basilius lib. 1. de Baptismo, cap. 2. ultra medium. Dominus enim, ut ostenderet, oportere nos nasci denuo, si velimus hæreditatem divinam consequi, dixit, *Quod natum est ex carne, caro est,* hoc est, non sufficit natum esse semel ex homine. Nam homo nihil aliud quam hominem gignit. Sed nascendum est iterum, idque ex Deo, ut simus quodammodo Dii, et hæreditatem filiorum Dei consequi mereamur.

Quare illa ratiocinatio Calvini non est ad propositum. Non enim debet homo nasci denuo, quia sit totus carnalis, et nihil possit facere, nisi opera carnis, sed quia per primam generationem non habet esse, nisi naturale et humanum, indiget autem esse divino et supernaturali, ut filius et hæres Dei dici, et esse possit. Porro ad Roman. viii. accipitur caro pro parte inferiori, ut patet ex toto præcedente capite, et sensus ejus loci est, acquiescere carnis concupiscentiis mortem esse, quia peccatum mortale admittit, qui carni in omnibus acquiescit. Quamvis autem non possit non peccare, qui carni

obedit; tamen non cogitur etiam homo impius in omni opere carni obedire, sed potest aliqua opera facere ex naturali propensione, non ex vitiosa cupiditate, ut sæpe dictum est supra.

Nonum argumentum sumunt ex illo Joan. xv. *Sine me nihil potestis facere* (3). Respondeo, Loquitur Dominus de his operibus, quæ ad salutem pertinent, de quibus paulo ante dixerat: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Et hoc modo locum istum intelligit Concilium Arausicanum, cap. 7. Atque huc pertinent illa etiam loca, quæ a quibusdam obijciuntur ex I ad Corinth. iv. *Quid habes, quod non accepisti?* Et II. ad Corinth. iii. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Ex Ephes. ii. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis.* Ex Philipp. ii. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere* (4). Hæc enim omnia ad opera pietatis et salutis pertinent, quæ sine Deo, neque inchoari, neque perfici posse, infra demonstraturi sumus.

Decimum argumentum sumunt ex illis verbis epistolæ ad Roman. cap. 14: *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* quod argumentum non solum a Kemnitio proponitur, sed etiam a Calvino lib. iii. Institut. c. 15. et a Melancthone in Apologia Confessionis, titul. de Justificatione.

Sed responsio in promptu est. Nam eo loco beatus Paulus, nomine fidei, non intelligit fidem, qua credimus in Christum, unde dicuntur fideles, qui ea fide præditi sunt, et infideles, qui eadem fide carent; sed fidem, qua credimus aliquid esse licitum, quæ etiam conscientia dici potest. Et sententia illius loci est, peccatum esse quidquid fit conscientia reclamante et protestante, illud fieri non debere.

Hanc autem esse germanam ejus loci expositionem, dubitari non potest, tum, quoniam ita exposuerunt fere omnes interpretes Græci et Latini, ut comment. adscriptus Ambrosio, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius et alii, et præterea Innocentius Papa in Concilio Lateranensi, unde extat caput finale de præscriptione; tum, quia textus ipse plane cogere videtur. Dissert enim Apostolus de cibis mundis et immundis, secundum legem, et ait: *Qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia*

(1) Eph. IV, 23. — (2) Gal. V, 49; Joann. I, 14; Isai XL, 6. — (3) Joan. XV, 5. — (4) I Corin. IV, 7; II Corin. III, 5; Eph. II, 40; Phil. II, 13. — (5) Rom. XIV, 23.

non ex fide; id est, qui discernit inter cibos mundos et immundos, existimans aliquos vere esse immundos, si omnes æque manducaverit, damnatus est, quia facit contra id, quod credit esse faciendum. Omne enim quod non est ex fide, id est, secundum id, quod credit faciendum, peccatum est. Atque hinc natum est axioma illud Theologorum, conscientiam (quamvis erroneam) semper ligare. Numquam enim licet contra conscientiam facere. Non ignoro, sanctum Augustinum paulo aliter hunc locum exposuisse, sed de ejus sententia paulo post dicemus.

Undecimum argumentum sumunt ex illo I ad Corinth. X. et Coloss. iii. *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1). Respondeo, sonant hæc verba piam admonitionem, non præceptum proprie dictum; nisi intelligamus, hoc tantum imperari, ut omnia fiant in gloriam Dei explicite vel implicite. Nam saltem implicite omnia refert in gloriam Dei, qui operatur propter bonum aliquem finem. Semper enim ex bonis operibus, etiamsi is, qui ea facit, forte de Deo non cogitet, sequitur, ut qui ea vident, glorificent, aut certe glorificare possint patrem nostrum, qui in cœlis est.

Duodecimum argumentum ex illo ad Eph. iv. « Testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem omnis immunditiæ, in avaritiam (2) ». Respondeo: non dicit Apostolus, omnia opera infidelium esse peccata, sed plurima esse mala et immunda, omnia autem saltem esse vana, id est, inutilia ad veram felicitatem, cum ipsi et lumine fidei et spe regni cœlestis careant.

Tertiumdecimum argumentum, ex illo II ad Timoth. ii. *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (4). At voluntas diaboli est, ut homines semper peccent. Respondeo: dicuntur peccatores teneri laqueis diaboli captivi ad ipsius voluntatem, non quod cogantur facere, aut pati quidquid diabolus vult, sed quia non possunt pro suo arbitrio, et suis solis viribus, ab illa captivitate liberari.

Quartumdecimum argumentum, ex illo ad Titum i. *Omnia munda mundis, iniquitatis autem, et infidelibus, nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum et mens et conscientia* (4). Respondeo: explicant hunc locum sanctus Hieronymus in commentario et sanctus Augustinus lib. xxxi. contra Faustum, cap. 4. qui docent, Apostolum non loqui de operibus infidelium, sed de cibis mundis et immundis, secundum legem, ut hæc sit sententia hujus loci: *Omnia munda mundis,* id est, omnes cibi natura sua mundi sunt, et hoc tempore post abrogatam legem veterem juste et sancte a justis hominibus manducantur, quippe qui sciunt nihil esse immundum, quod cum gratiarum actione percipitur: *Iniquitatis autem et infidelibus, nihil est mundum,* id est, hominibus injustis, et qui nolunt credere, legem esse abrogatam quales sunt Judæi, omnes cibi sunt immundi non solum illi, quos lex judicabat immundos, sed etiam cæteri, quod isti ita infideliter sumunt, ut existiment, eos solos esse mundos. Inquinata enim est eorum et mens et conscientia, id est, idcirco omnes cibi sunt istis immundi, quoniam inquinatam mentem, et erroneam conscientiam gerunt.

Quod si quis omnino contendat, illud: *Infidelibus, nihil est mundum,* significare, omnia opera infidelium esse peccata: interrogandus erit, quid significet illud: *Omnia munda mundis.* Nam non potest hæc sententia significare, omnia opera justorum esse justa, cum justus sint, qui jubentur dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Et: *Septies in die cadit justus,* Restrictenda igitur erit sententia ad illa opera, quæ fiunt ex justitia, id est, ex charitate et pietate: quo modo facile concedemus, omnia opera impiorum et infidelium, esse peccata, dum illud *omnia* restringatur ad illa opera, quæ ex impietate et infidelitate procedunt.

Quintumdecimum argumentum, ex illo ad Hebræos xi. *Sine fide impossibile est placere Deo* (5). Respondeo: impossibile est sine fide placere Deo, us quis amicus Dei constituatur. At sicut natura humana, ut res aliæ creatæ, quia bona est, bonitate naturæ, non potest non placere Deo, qui summe bonus est, et cui placent omnia bona: sic etiam opera facta ex bono naturæ, sine admixtione malæ alicujus circumstantiæ, bona sunt, et Deo placent, tametsi non sint ejus prælii, ut vel

(1) I Corin. X, 37. — (2) Eph. IV, 17. — (3) II Timo. II, 26. — (4) Tit. I, 45. — (5) Heb. XI, 6.

gratiam, vel vitam mereantur æternam. Quoniam vero Pelagiani bonis operibus, solis naturæ viribus effectis, tribuebant, ut gratiam Dei mereri possent, ideo recte sanctus Augustinus lib. iv. in Julianum, cap. 3. utitur adversus eos hoc Apostoli testimonio: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Postremum argumentum sumitur ex illo I Joan. II. *Quidquid est in mundo* (id est, in amatore mundi) *concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* (1). Respondeo: si per mundum intelligamus cum Augustino hominem mundi amatorem, sensus erit, in amatore mundi, ut talis est, nihil esse, nisi hæc tria, quoniam omnia peccata revocantur ad hoc tres fontes, luxuriam, avaritiam, superbiam. Alioqui enim non negat Joannes, quin sint in homine, quantumvis peccatore, multa bona naturalia, corpus, animam, intelligentiam, voluntatem etc. sed (ut dixi) loquitur de amatore mundi non ut est homo factus a Deo, sed ut est peccator factus a se. Si tamen cum aliis expositoribus intelligamus per mundum hanc rerum universitatem, sensus erit, nihil esse in mundo, nisi objecta luxuriæ, avaritiæ et superbiæ, et ideo non esse diligendam creaturam, sed creatorem, in quo objectum veræ, perfectæque felicitatis.

CAPUT XI.

Solvuntur argumenta ex Patribus.

Sequuntur nunc argumenta ex Patribus, ac præsertim ex Augustino.

Primum argumentum ex lib. I. *Retract.* cap. 15. « Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas. » Respondeo: loquitur de voluntate, ut voluntas significat potentiam, non actum. Nam de eadem paulo ante dixerat, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium? Porro potentia voluntatis sine charitate, tota est vitiosa cupiditas, id est, plena est amore proprio. Sed non tollitur propterea inclinatio naturalis ad bonum, quæ non est habitus bonus, vel malus, quales sunt charitas et cupiditas, sed est ipsa potentia voluntatis, inclinata ad bonum natura sua, ex qua inclinatione fieri potest ali-

(1) I Joan. II, 16.

quod opus, quod non sit peccatum, quando non datur occasio cupiditati, ut vim suam exerat, ut cum aliquis, quamvis alioqui vitii omnibus coopertus, occurrit pauperi et ægroto, et ex humana misericordia illi compatitur.

Non esse autem peccata omnia opera illorum, qui charitate carent, ac proinde cupiditate non carent, docet idem Augustinus in libro de patientia, cap. 26. ubi de schismaticis loquens dicit, eos non peccare, si quid patiantur pro Christo, et tamen id eis non prodesse ad vitam æternam, cum charitatem non habeant.

Secundum argumentum, ex epist. 106. ubi sic loquitur de Pelagio: « Aliquando ita paribus momentis potestatem voluntatis æqualance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat. Quod si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. » Respondeo, Non significat, meo iudicio, sanctus Augustinus, non posse hominem suis viribus facere aliquod opus, quod non sit peccatum, sed non posse vivere sine omni peccato, ita ut illud, « ad non peccandum », non sit, ad peccatum aliquod vitandum, sed, ad vivendum sine peccato. Nam hoc nobis persuadet in primis illa ratio ejusdem Augustini « Quod si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur » quæ nihil concludit, si « ad non peccandum », significet, ad peccatum aliquod vitandum: concludit autem efficacissime, si, « ad non peccandum », significet ad numquam peccandum.

Deinde, verba sequentia idem testantur. Nam explicans S. Augustinus quid sit, quod Pelagius dicebat, liberum arbitrium aliquantum ad non peccandum valere, dicit, sensisse Pelagium, posse hominem servare solis naturæ viribus omnia mandata, sed ægre, ac difficulter, per gratiam vero facile, ac suaviter, ac per hoc posse suis viribus numquam peccare, sed aliquantum, id est, ægre ac difficulter.

Adde etiam tertio, non fuisse ab ullo veterum inter errores Pelagii enumeratum, posse hominem, suis viribus, facere aliquod opus bonum moraliter, vel (quod est idem) facere aliquod opus, quod non sit peccatum, sed posse omnia mandata servare et vivere, absque omni peccato, ut patet ex Hieronymo

lib. III. contra Pelagianos, et August. lib. de hæresibus, cap. 88.

Posset etiam responderi ad idem argumentum, per illud, « ad non peccandum, » significari ad resistendum tentationi, et tunc libentissime confitemur, ad non peccandum, sine adjutorio gratiæ liberum arbitrium nihil valere.

Tertium argumentum sumitur ex Enchiridio, cap. 30. ubi sic legimus: « Quid boni operari potest perditus, nisi in quantum a perditione liberatur? » Respondeo: loquitur S. Augustinus de opere bono, quod ad salutem perducat. Dixerat enim: « Verum hæc pars generis humani, cui liberationem Deus, regnumque paravit æternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? absit. Quid enim bonum operari potest perditus? etc. »

Quartum argumentum ex lib. II. de peccatorum meritis et remissione, cap. 18. « Si voluntas aut bona est, aut mala, et utique malam non habeamus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo. » Respondeo: per voluntatem non accipit actum voluntatis, ut adversarii putant, sed potentiam, quæ si prædita est charitate, est bona; si cupiditate, est mala. Dixerat enim paulo ante, illam esse bonam, quæ diligit Deum, illam malam, quæ non diligit. Diligere enim et non diligere, ad potentiam pertinet. Potest autem voluntas mala operari aliquid boni moralis, sicut potest voluntas bona operari aliquid mali venialis. Sed sicut voluntas bona hominis justus non operatur peccatum veniale ex charitate, sed ex corruptione naturæ, ita voluntas mala hominis impii et infidelis, non operatur bonum morale ex cupiditate, sed ex bono naturæ, quod non omnino periisse idem Augustinus scripsit in libro de spiritu et littera, cap. 34. et aliis in locis.

Quintum argumentum ex lib. I. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. ult., ubi sanctus Augustinus scribit, bonum usum liberi arbitrii esse ex gratia. Respondeo: non dicitur bene uti libero arbitrio, qui inter innumerabilia peccata admiscet unum aut alterum opus bonum morale, sed qui ut plurimum vivit secundum rationem, et omnia mandata moralia diligenter servat, quemadmodum non bene utitur calamo, qui unam, aut duas litteras pulchre depingit, et integras dictiones corruptissime scribit, sed qui ap-

posite ad legendum verba omnia format ac digerit, quamvis unum, aut alterum characterem interdum minus recte pingat.

Hunc bonum usum liberi arbitrii Pelagiani meritorium gratiæ esse volebant, nos vero cum sancto Augustino dicimus, eum haberi non posse, nisi per gratiam. Jam enim supra docuimus, non posse hominem suis viribus, omnia mandata servare, præsertim si tentatione pulsetur.

Sextum argumentum, ex lib. III. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8: liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet, ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque non valet. Respondeo: recte dicitur liberum arbitrium non nisi ad peccatum valere, tum quia magnas vires ad peccandum habet, tum quia ut plurimum reipsa peccat, nisi divinitus adjuvetur. Nam pauca quædam bona moralia, quæ potest facere, pro nihilo reputantur, cum et nihil prosint ad salutem æternam, et obruantur multitudine peccatorum. Similes sententiæ frequentissime occurrunt in Scripturis divinis ubi dicitur, ab omnibus fieri quod a plurimis fit, ut Gen. VI. *Omnis caro corruperat viam suam.* Matth. II. *Turbatus est Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo.* Joan. XII. *Mundus totus post illum abijt.* Act. XXI. *Tota confunditur Hierusalem* (1).

Septimum argumentum ex libro de gratia et libero arbitrio, cap. 18. « Quod non fit ex charitate, non bene fit. »

Respondeo: non fit bene, id est, utiliter ad salutem.

Octavum argumentum ex lib. I. de nuptiis et concupisc. cap. 3. et lib. IV. in Julianum, cap. 3. et Tract. in Psalm. XXXI. ubi sanctus Augustinus docet, omnia opera infidelium esse peccata, et eo trahit illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Respondeo: duæ adhiberi possunt ad hoc argumentum solutiones. Prior est conformis iis, quæ dicta sunt ad argumenta superiora, videlicet vocari peccata omnia opera infidelium, quia fere omnia fiunt ob malum finem, ut in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam; et hoc modo loquitur ipse sanctus Augustinus lib. IV. in Julianum, cap. 3. « Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia jubet, et si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. » Et infra: « An et istis,

(1) Gen. VI, 12; Matth. II, 3; Joan. XII, 19; Act. XXI, 34.